Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1259
Quelle:
Copyright:

naſterii in Caſtello O. S. B. in Reichenbach conſtitutum. Teſtatur id ad an. 1401. *Andreas* Presb. *Ratisbon. Tom. cit.* in *Chronico* ſuo *col.* 598.

X. *fol.* 247. Commentaria in *Epiſtolam Pauli ad Romanos* perducta usque ad C. V. v. 6. et ab hac Praefatione inchoantia: *Sicut legis ita euangelij perfectio conſiſtit in tribus. preceptis promiſſis ſacramentis. Erant enim in lege precepta quedam moralia, quedam figuralia. Moralia erant que ſolam morum continent inſtructionem et nichil ex eis intelligitur. preter quod ex ſignificatione uerborum perpenditur. ut* non occides *et ſimilia* &c. Hinc ad Epiſtolas, et primam noſtram ita deſcenditur: *Inter quas prima ponitur, que ad romanos mittitur, non quod eam primam ſcripſerit. ſed propter ſententiarum difficultatem* &c. Apud nullum *Pauli* Interpretem, quorum bene multos conſului, haec deprehendere datum eſt, unde me oculatioribus arbitrium defero.

XI. *fol.* 261. Commentaria in *Threnos Jeremiae* congeſta praecipue e *Giſilberti* ſeu *Gilberti*, quem neſcio, an *Weſtmonaſteriensem*, an *Svinſetenſem* Abbatem habeam, et *Paſchaſii Radberti* Expoſitionibus. *Giſilbertus* ita inchoat: *Lamentaciones hieremię membro patet orationis maxime diſtingui uel diſſoluto colorari. Res enim breuiter abſoluta ſine tocius ſententię demonſtratione dicitur que alio orationis membro excipitur* &c. Introductionem hanc continuo excipit Expoſitio C. V. ſeu *Orationis Jeremiae*, et non niſi poſt 7. *folia* interjecta pervenitur ad C. I. in quo etiam Codex abrumpitur. Porro 7. illa *folia* interjecta proſequuntur *Commentaria in Epiſtolam ad Rom.* ſuperius N. X. inchoata, et ea perducunt ad finem C. XI. in quo et ipſa abrumpuntur, ut adeo cum Scriptoris, tum Compactoris vitio non parum hic turbatum fit.

DLXI.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 252. f. per duas columnas luculente et probe exaratus, coloribusque illuſtratus, quem Theologus noſter *Petrus de Pulka*, ut in fronte praeſcriptum eſt, emit a *Nicolao de Hebersdorf* Med. Doctore, et a *Petri* Heredibus redemtum *Thomas Haſelbachius* Collegio Ducali legavit, continet I. *Thomae Aquin.* O. P. dicti *Doctoris Angelici* et a. 1274. vivis exemti *Quaeſtiones XVI. de Malo diſputatas.* Initium eſt: *Queſtio eſt de Malo. Et primo queritur. an malum ſit aliquid. Et uidetur quod ſic. Omne enim creatum* &c. Finis vero: *impedit uſum rationis in homine ſicut patet in arrepticiis.* Igitur integrae, prout extant in Edit. *Rom. Opp. omn.* 1570. T. VIII. et *Pariſ.* 1660. T. XII. p. 191. f. Subjecit Amanuenſis noſter: *Explicit De Malo et Dyabolo. Terminus his eſſe digneris virgula Jeſſe.* U. 618

II. *fol.* 98. *Queſtio prima de potentia dei.* Sequuntur IX. aliae. Initium eſt: *Queſtio eſt de potentia dei.*